Z B I O R druków procesowych z XVIII. i XIX. w.

Tom II.

Nr. 1.	Elsner i Wisogierdowie r.1782.	szt. 1.
" 2.	Froelichowie r.1799.	" 3.
" 3.	Goldynga r. 1765.	" 2.
" 4.	Grabowski i Siebeń etc r,1799.	" 1.
" 5.	Grabowscy r. 1799.	" 2.
" 6.	de Grothuz i Piotr Książę kurlandz.r.1779	" 1.
" 7.	Grużyński i Podberescy r. 1799.	" 3.
" 8.	Haudring i Klüchzner r. 1779.	" 3.
" 9.	Haudringowie i Platerowie r. 1780.	" 2.
" 10.	Janowicz i Chodakowscy r. 1799.	" 1.
" 11.	Izraelowicz i Radowicki r. 1799.	" 2.
" 12.	Hryniewicz r. 1774.	" 1.
" 13.	Jezuici toruń. i Magistrat toruń. r. 1724.	" 3.
" 14.	Jasna Góra i Kłobuck r. 1790.	" 2.
" 15.	Jocz i Downarowicz r. 1800.	" 1.
" 16.	Kaczanowska i Brzozowski 1799.	" 1.
" 17.	Kalenkiewicz r. 1760.	" 1.

DECRETUM
INTER COLLEGIUM
SOCIETATIS JESU
TORUNENSE ACTORES,
Atque
MAGISTRATUM ET COMMUNITATEM TORUNENSEM CITATOS,
latum anno Domini 1724.

/3e

AUGUSTUS SECUNDUS
DEI Gratiâ REX Poloniæ.
Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæque; necnon Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

SIgnificamus præsentibus literis nostris, quorum interest Universis & singulis: Intercessisse antea Decretum Nostrum Assessoriale, inter Generosum Instigatorem Regni, ejusque Delatores Religiosos: Casimirum Czyżewski Rectorem, Laurentium Marczewski Vice-Rectorem, Casimirum Klimecki, Jacobum Piotrowicz, Martinum Wolański Fratres, & totum Collegium Societatis JESU Torunense, Actores, ab una; atque Nobiles & Spectabiles Ge-

 rhardum

rhardum Thomam Burgrabium, Godefridum Resner Præsidem, Proconsules, Consules, & Ordines, totumq; Magistratum & Communitatem Civitatis Torunensis, citatos, parte ex altera. Idq; in causa & actione ipsis instituta pro eo: Quia illi malevolô animô, odiôq; Fidei Sanctæ Romanæ Catholicæ, in Regno nostro Catholicissimo degentes, contra leges Divinas & humanas, Constitutionemq; ejusdem Regni nostri procedendo, non contenti anterioribus ausibus & violentiis; recenter nacti occasionem, quòd sub tempus Processionis cum Venerabili Sacramento, in Festo Beatissimæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo, in Cæmeterio Ecclesiæ Sancti Jacobi Apostoli, DEO dicatarum Virginum Ordinis Sancti Benedicti, ipso die Dominico Torunii celebratæ, cuidam puero Dissidenti, Ceremonias Ecclesiæ irridenti, irreverenterq; se gerenti, galerum Polonus Studiosus, zelô cultûs Divini ductus dejecerit. Statim absolutâ Processione, in cæmeterio per licentiosos Cives enormiter eundem studiosum converberârunt & vulneribus affecerunt, tandem ex loco Sacro violentè etiam per milites extractum, per plateas ductum, & carceri ac custodiæ militari, uti & postridie alterum innocuum studiosum Polonum mancipârunt, & in eam conjecerunt; cumq; ad plura postulata Juventutis Polonæ neuter libertati redderetur, imò contumeliosissimè ambo tractarentur, gymnasista quoq; heterodoxæ Fidei, in compensationem captivorum duorum prædictorum studiosorum, ad scholas, insciis Religiosis Actoribus, non tamen cum tumultu, neq; cum ignominia nociva, à studiosis Polonis introductus esset, Plebem licentiosam, ut cum armis variis & bombardis parati essent, turmatim sub pænis pecuniariis convocari fecerunt, in quem finem & portas Civitatis solito citiùs tempore claudi jusserunt, & qualiter plebs procedere deberet ad inferendam Statui Spirituali, atq; locis Privilegiatis, utpote Cæmeterio, Scholis, & Collegio prædictorum Actorum violentiam, malitiosè instruxerunt: unde factum est, quòd eadem licentiosa & seditiosa plebs, taliter in depressionem Statûs Spiritualis & violationem Immunitatum instructa, Citatorum scitu, jussu, mandatô, & subordinatione, nec non conniventiâ, animo feroci atq; crudeli, [etsi jam ad requisitionem Secretarii Civitatis, gymnasista ex schola liberè dimissus fuerit:] èo ferventiùs, quia sol ad occasum vergere, & tenebræ sceleri patrocinari videbantur, bene ad vim inferendam & patrandum nefandum ausum armata, tota mente & corpore pro tunc furorem spirans, post egressum Secretarii simul cum gymnasista (nam eidem ad manus redditus:) planè ex condicto, & de industria, magno cum impetu, in assi-

in assistentia militum Civitatis, & explosione bombardarum pro securitate sui criminis, majoriq; facilitate ad invadendum & deprædandum, foribus primò scholarum securi excisis ac effractis, catervatim armataq; manu agressi, scholas omnes & aulam publicam invaserunt, omnia funditus inverterunt, scamna, cathedras, sellas, fornaces, fenestras, fores, ad ultimam particulam concusserunt, confregerunt, dissecuerunt, & globis plumbeis trajecerunt. Quod autem magis execrandum est: nec Imaginibus Christi Crucifixi, ac DEIparæ, nec non aliorum Sanctorum pepercerunt, & quod nec Barbari, nec Ethnici facerent, id Torunenses in Regno Catholicissimo impiè facere ausi sunt, in honorem DEI, Beatissimæ, & Sanctorum sacrilegè sæviendo, Pedes Crucifixi amputando, altaria duo, unum Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ MARIÆ Virginis affabrè, & de novo elaboratum, extructumq; in Congregatione minori Sodalium, alterum salutatæ ab Angelo Virginis in Congregatione majori, in partes securibus & asciis scindendo, ita, ut vix locus superfit ubi altare secundum fuerit; Icones plurimas Christi Crucifixi, Beatissimæ MARIÆ Virginis, & Sanctorum, alias dilacerando, alias gladiis confodiendo, alias securibus scindendo, ac ne impia crudelitas Sacrilego ausui finem imponeret (licetsi manus scribendo tremat, & ambæ ad audita tinniant aures) Imagines Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ MARIÆ Virginis, Sancti Francisci Xaverii, & aliorum Sanctorum in publicam plateam insolenter ac temerariè exportârunt cum subsannationibus, illusionibus, vociferationibus, & blasphemiis, lingva procaci, effrenatis in omnem malitiam plenis buccis, ac rodentibus Theoninis dentibus, ceu caninis, lædendo carpendo, & contaminando, hostes contra honorem DEI, DEIparæ, & Sanctorum conjurati, tumultuosi aggressores, persecutores Fidei S. Romanæ Catholicæ, terræ alliserunt; circaq; Imagines illas in terra prostratas incendio facto, saltus indecentes ad normam paganismi exercendo, blasphemando contra DEUM & Beatissimam, malitiosissimi tumultuarii, plurimas easdem Imagines vesanis addixerunt flammis & concremârunt, cum summa injuria honoris DEIparæ, blaterando inter cætera, *Brońże się teraz Dźieweczko*: *Vivat MARIA*: *&c*: Nec his contenti ausum ausui, scelus sceleri addiderunt: dum eodem cum furore, ac omni genere armorum, violenti aggressores, hostiliter excisis ac effractis foribus, seu Janua Collegii, in ipsum Collegium, jam profunda nocte tumultuatim irruerunt, cum strictis acinacibus, securibus, asciis, bombardis longioribus & brevioribus, aliisq; armis, facibus, & candelis accensis,

cum periculo incendii, bis de induſtria intentati, ibidemq; in parte inferiori Collegii, omnes feneſtras tam ambulacri, quàm cubiculorum, uti & fornaces; fores, concuſſerunt; cubicula ſupellectili, ac re veſtiaria ferme tota, imò & pecuniâ ſpoliârunt, in vimq; prædæ ac turpis lucri eandem retinuerunt, & retinent. Imagines plurimas: Chriſti Domini, DEIparæ, ac Sanctorum, in circuitu ambulacrorum ſignis illicitis deſpexerunt, aliquas in partes lacerârunt, alias gladiis confixerunt, alias ſecuribus & aſciis ſecuerunt, alias globis è ſclopetis trajecerunt, alias pedibus conculcârunt, & in minutiſſimas attriverunt partes; oratorium in ſuperiori parte Collegii, ejusq; ſculptoriam elegantem ſtructuram, multas in partes ſciderunt, ſecuerunt, & detruncârunt. Ipſum Venerabile ex Tabernaculo in ſummum opprobrium Fidei noſtræ jam jam ejiciendum erat à tumultuariis, niſi cujusdam Religioſi precibus flecterentur, quem tamen & alios Religioſos graviſſimè concuſſerunt, & ſauciârunt; hypocauſtum commune, uti & aliqua ſuperiora cubicula, effractis foribus vaſtârunt, feneſtras gladiis excuſſerunt, fornaces & fores globis trajecerunt, milites noſtros Præſidiarios ſupervenientes ad ſedandum tumultum, cum armis aggreſſi ſunt, eosq; letaliter vulnerârunt: etiamq, quendam Religioſum Ordinis S. Dominici ad initium tumultûs [veniente ad Collegium Secretario Civitatis:] verberârunt. Hæc & alia prope ad mediam noctem inauditô exemplô, & nefando auſu, ac impio & ſacrilego facinore patrârunt, deſolatamq; Arabiam tam in ſcholis, quàm in Collegio, juſſu & conſenſu Citatorum, ac ſupinâ conniventiâ mediante reliquerunt, exindeq; pænas Legum Regni criminaliſſimas promeriti ſunt. Pro quibus decernendis, tum & ſtatuitione Principalium ac Complicium tantorum ſcelerum, blaſphemorum, & Sacrilegorum, atq; ablatorum reſtitutione, damnorum litisq, expenſarum refuſione, citati ſunt Citatione Originali, ejusq, relatione, tum propoſitione ore tenus facta, ac reviſione Officioſa per Miniſterialem, Combuſtionis Imaginum & deſolationis, ac damnorum, in Collegio & Scholis actorum, in præſentia Nobilium & Officialium coram Actis Caſtrenſibus Kovalevienſibus, Palatinatûs Culmenſis, Feriâ quartâ poſt Feſtũ Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Scapularis, Anno nunc currente factâ & inſcriptâ in ſe latiùs loquentibus ſub Actu Varſaviæ Feriâ ſextâ poſtridie S. Laurentii Martyris & Levitæ, die undecima Menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto, id Decretum noſtrum eſt prolatum. Quô neceſſariam eſſe hac in cauſa Commiſſionem & Inquiſitionem adinveneramus, eamq, decre-

veramus,

veramus: ad quam expediendam Commissarios nostros Reverendos in Christo Patres, Dominos, Christophorum in Słupow Szembek, Vladislaviensem & Pomeraniæ, Andream Załuski, Plocensem, Episcopos; Magnificos Stanislaum Chomentowski, Masoviæ, Jacobum Sigismundum Rybinski, Culmensem, Ignatium Działynski, Pomeraniæ, Palatinos; Adamum Poninski Gnesnensem, Andream Dambski Brestensem Cujaviensem, Petrum Czapski Culmensem Castellanos; Generosum Georgium Lubomirski Succamerarium Regni, Venerabilem Dominicum Sieninski Decanum Gnesnensem, Præpositum Cracoviensem ad Ecclesiam Sancti Michaëlis, Officialem Generalem Gedanensem, Generosum Jacobum Dunin Regentem Cancellariæ Majoris Regni, Venerabilem Michaëlem Wężyk Archidiaconum & Officialem Generalem Varsaviensem, Prælatum in Cathedra Posnaniensi, Generosum Franciscum Radzewski Succamerarium Posnaniensem, Venerabilem Aloysium Humański Ecclesiæ Cathedralis Culmensis & Insignis Collegiatæ Varsaviensis Canonicum, Secretarium nostrum JudiciiqueAssessorem;Generosos Joannem Georgium Kczewski Succamerarium Mariæburgensem, Josephum Nakwaski Capitaneum Ciechanoviensem, Paulum Iaroszewski Vexilliferum Plocensem, Franciscum Poninski Dapiferum Posnaniensem; Joannem Franciscum Roscißzewski Plocensem, Michaëlem Kalszteyn Mariæburgensem Judices Terrestres; Ignatium Dambski Inovladislaviensem, Joannem Piwnicki Culmensem, Notarios Terrestres; Casimirum Piwnicki Ensiferum Livoniæ; deputaveramus, iisdemque commiseramus, ut si ex scrutinio aliqui principales motores tumultûs & violentiarum illatarum, combustionisque Imaginum, & blasphemiarum apparerent esse rei, tales stricto Arresto & sequestro, apud Nobilem Magistratum Torunensem detineri mandarent, eosque ad parendum Judicio pro sumendis pœnis idem Magistratus Torunensis statuere teneretur, ipsis injunxeramus, Terminumque partibus post expeditam nec ne Commissionem præfatam, coram Nobis Judicioque Nostro conservaveramus peremptorium. Qui Commissarii supra specificati, cùm ad Civitatem Torunensem condescenderent, ibidemque in Prætorio Jurisdictionem suam Commissorialem fundarent, & post inscriptam partium comparitionem ad excipienda Confessata libera nonnullorum Inculpatorum, demum ad Inquisitiones auscultandas processerunt, Juramenta super incorruptos Testes Partibus præstare demandârunt, quæ defacto ab ipsis sunt præstita; Post quæ præstita, Testes oculatos speciali regestro connotatos, ac Partibus ad invicem communicatos, inducere injun-

 xerunt.

xerunt. Quos Testes, ex Parte Actorea viginti sex, & ex parte citata itidem viginti sex inductos, præviis Juramentis super fideli depositione, cum monitione de perjurio, juxta Interrogatoria à partibus porrecta, & ad invicem Parti per partem communicata, examinârunt, auscultârunt, Testimoniaque eorum connotârunt. Post quas Inquisitiones per partes eductas, quoniam ex iisdem Inquisitionibus eductis, nonnulli Principales Motores tumultûs & violentiarum, combustionisque Imaginum ac blasphemiarum redarguerentur esse rei; Ideo Inculpatos utpote Graurok Capitanum militiæ civilis Torunensis, Famatum Zylber Civem Apothecarium & Capitanum Divisionis Veteris Civitatis Torunensis, Famatum Walter Civem & Capitanum Divisionis plateæ pontalis Civitatis Torunensis, Maciejowski & Westphal famulos Vice-Præsidis, Swiderski famulum Præsidentis, Joannem Kall Wach-Magistrum militiæ Civitatensis, Karviza Civem & Lanionem novæ Civitatis Torunensis, Hafft Civem & Pistorem, Schultz Acuarium, Hertell Coriarium, Mohapt Civem & Propinatorem liquorum, Ioannem Mertz, Ioannem Waz Cives & Sutores, Westphal Studiosum gymnasii, pro majori & sufficientiori informatione Criminum perpetratorum enucleatione [siquidem nonnulli ad corporales Inquisitiones destinari deberent:] ad Nos Judiciaque Nostra remiserant. Quos modo præmisso connotatos Inculpatos, Nobili & Spectabili Magistratui Torunensi in Sequestrum tradiderant, utque eosdem coram Iudicio Nostro statueret, eidem Magistratui mandaverant, idque sub onere Causæ, & criminali pro non statutis responsione. Alios verò Inculpatos, videlicet: Leban seu Falsbakier, Iarka, Teyblingier, Oberkram scribam Famati Zylber Apothecarii, scribam Famati Kleybe, Ernestum Turkowski scribam Famati Heyna, Murifabrum aliàs Mularczyká, Civitati Torunensi meliùs notos, Lignifabrum aliàs Ciesielczyká, Guttbrodt Lignifabrum, Fick aurifabrum, Nagorny, Conradum Gronau, Godefridum Krygier gymnasii Torunensis studiosos, Alexandrum Civem chirurgum, Bazyler Sutorem Germanicum, Doliatorem aliàs Bednarczyka in platea Carnificis apud Viduam Magistram famulantem, Krauza, Berent, Bedka Cives Laniones, Christianum Sartoreæ Artis Socium seu Famulum Famati Krauz Famulum Famati Sztalkefer Civis Perukarii sub signo aurei Cervi manentis, Klebert Strangulatium aliàs Powroźnika, famulum Famati Berkla mercatoris, Iacobum Malon scribam, & puerum ignotum, famulos Famati Tesmer, nonnullos jam arresto præventos, cæteros captivandos, & strictiore carcere mancipandos censuerant, eosdemque arctæ custodiæ Nobilis &

Spectabilis

Spectabilis Magiſtratus Torunenſis, usque ad finalem deciſionem Cauſæ tradiderant, ſub rigore ſuperiùs expreſſo. Reliquos quoque inculpatos, videlicet Famatum Heyna Apothecarium, Godefridum Panthel Civem, Aurigam ſeu famulum Famati Heyna Acatholicum, ſcribam Famati Fengier Nathanaëlem Blumenſzal, Samuelem Werner ſcribam Famati Dankmeger, Chriſtianum Krauz Famati Szweyeman ſcribam, puerum ſub ſigno albi equi, Famati Pozyna Perukarii famulum, Famatæ Hannau viduæ filium ſtudioſum, ſcribam Helſzt Famati Roſteuſcher, puerum Famati Fengier, Godefridum Ludovicum famulum Nobilis & ſpectabilis Proconſulis, Gryffald puerum famati Reycha, Andream famulantem ad Officinam librariam Civitatis, artis menſatoriæ famulum vulgò *Stolarczyka* Honeſti Kinaſt Magiſtri, Filium Iuniorem famatæ Rauſchowa ſtudioſum gymnaſii, Gottlibum filium de villa Lubicz artis papyraceæ Magiſtri, Coriarium Nosek ex nova Civitate, ſcribam famati Sztyrna, famulum Lanionis habitantem versùs Eccleſiam Sanctæ MARIÆ Matris DEI, Winter Nobilis Præſidentis, Cornelium Civitatis famulos, Bekier Perukarza, Ioannem foralium Civitatis Torunenſis Exactorem vulgò *ſzarpácz* dictum; inhærendo Decreto Noſtro præfato, ſtricto arreſto & ſequeſtro apud Nobilem & Spectabilem Magiſtratum Torunenſem detinendos, & ſi opus fuerit ibi ubi de Iure venerit pro pænis de eisdem ſumendis ſtatuendos, ſub rigoribus ſuperiùs expreſſis ſententiaverant. *F*amatum verò David Heyder, Civis & Mercatoris novæ Civitatis Torunenſis, licèt quidem a parte Actorea Inculparetur, & ex educto ſcrutinio, Immunitatis Eccleſiaſticæ per eundem violatæ redargueretur eſſe reus; verùm quoniam in Tractu Commiſſionis præfatæ, ſponte & liberè fidem Sacram Catholicam Orthodoxam in Eccleſia Torunenſi S. Ioannis amplexus eſſet; idcirco parte Actorea pro eodem inſtante eundem in fidejuſſionem partis Actoreæ Venerabilis Collegii Torunenſis Societatis IESU relinquendum eſſe cenſuerant usque ad ulteriorem Cauſæ præſentis deciſionem, cum hac adjecta declaratione, ut liberum eſſet famato Heyder, absque ulla moleſtia per omnes Ordines Civitatis inferenda, commercia ſua tractare, Bonis & fortunâ ſuâ uti frui, & ad velle ac beneplacitum ſuum iiſdem diſponere, ſub pæna ſeorſiva ſuper refractarios præfatæ Declarationi Commiſſariorum Noſtrorum, per Iudicium Noſtrum irroganda & extendenda; nihilominus is idem famatus Heyder, quoniam ſupplicationem per partem Actoream *F*idejuſſoriam ad Iudicium Commiſſariorum interponeret, idque pro eo: quatenus famatus Radzki *C*ivis & Mercator Torunenſis, filium ejus in Tractu *C*ommiſſionis apud ſe exiſtentem

ſtentem, ſibi Patri extraderet; ille verò in contrarium *Fidei* ortho-doxæ procedendo, veritus ne Pietate Patris permotus *Fidem* Sacram orthodoxam amplexaretur, eundem extra fines Regni malitiosè evexit, neq; evectum poſt trinas declarationes Iudicii præfati Commiſſorialis Patri ſuo reſtitueret, idcirco habita ratione poſtpoſitionis authoritatis Commiſſorialis, tum & Paterni Iuris naturalis convulſionis, eundem pro ſumendis pœnis de ipſo, ad Nos, Iudiciaque Noſtra remiſerant. Porro quoniam ultra ſuperiùs expreſſos Inculpatos, ex ſcrutinio coram Iudicio Commiſſoriali expedito, compertum eſſet, Nobiles & Spectabiles Gerhardum Thomam Burgrabium Noſtrum, Ioannem Godefridum Reſner Præſidentem, Iacobum Zerneke Vice-Præſidentem, Iacobum Meyſner, Andream Cymerman, Conſules Torunenſes, inter Inculpatos intrâſſe: tamen habita ratione regiminis & diſpoſitionis totius Civitatis Nobilibus & ſpectabilibus Gerhardo Thoma Burgrabio, uti ſenio grandi provecto, atque Nobili Iacobo Meyſner, Conſuli, prædicti Nobilis Burgrabii (in caſu debilitatis) officii Adjutori, Cautionem Iuratoriam, obſervata Iurisjurandi Solennitate, coram Imagine Crucifixi Domini Noſtri IESU Chriſti in eam juramenti rotam: prout Iuri & Iudicio Noſtro poſt finalem deciſionem cauſæ parebunt, neque ſe à regimine Civitatis Torunenſis alienabunt, neque ab executione Decreti diſparebunt, ita eos DEO Omnipotente & Sancta IESU Chriſti Paſſione adjuvante præſtare demandaverant. quam cautionem de facto præſtiterunt. Quantum attinet Nobiles & Spectabiles Godefridum Reſner Præſidentem, Iacobum Zerneke Vice-Præſidentem, & Andream Cymerman Conſules Civitatis Torunenſis, eosdem detineri à tribus Ordinibus Civitatis prædictæ, usque ad finalem Cauſæ deciſionem, Decretique Noſtri executionem injunxerant, ſub rigore ſupra expreſſo. Nobilem verò Wedemejer Secretarium Civitatis ſimiliter Inculpatum, quoniam pro eodem cautio literatoria à tribus Ordinibus Civitatis Torunenſis intercederet, ideo eundem unà cum aliis Varſaviam remittendis Inculpatis ſiſtendum ſeſe ſive ſtatuendum coram Iudicio Noſtro mandaverant, itidem ſub rigore ſupra expreſſo. Quô peractô iidem Commiſſarii Noſtri ad viſionem deſolationis ab intra & ab extra, Collegii Torunenſis Societatis IESU & Scholarum, per tumultum impum Civitatis Torunenſis factæ & perpetratæ ad Inſtantiam Partis Actoreæ ſeſe contulerant, ac juxta Officioſam ante Terminum Commiſſionis, per Partem Actoream conſcriptam, in pleniſſima forma Iuris Viſionem, viderunt, & optimè animadverterunt, omnia

taliter

aliter nefariè facta, & per tumultum perpetrata esse, prout in conscripta officiosè Visione continentur. Qua taliter facta Personali visione, ad enixam supplicationem Incolarum Catholicorum utriusque sexûs, tum & apud Cives Torunenses Dissidentes famulantium, ne iniquîs extorsionibûs post expeditam Commissionem à Superioritate Civitatis Torunensis aggraventur, & angarisentur, præcipuè in expensas Causæ præsentis erogatas & erogandas, quoniam in ullas violentias & crimina per tumultum Dissidentium perpetrata, nullatenus influerent, & se immiscerent; idcirco eosdem ab omnibus extraordinariis sub prætextu ordinariæ Contributionis exactionibus, extorsionibus, & injuriis liberaverant, sub seorsiva animadversione Iudicii Nostri. Quantùm attinet Ephraim Olloff Ministrum Augustanæ Confessionis Civitatis Torunensis, quoniam primò ad Iudicialem Commissionis requisitionem, secundariò ad Iuridicam Termino tacto ex mente Iudicii Commissorialis citationem, contumacem sese præberet, neque ad præstandam Informationem tam ratione gymnasistarum, in sæpe nominatum tumultum intrantium, quàm & ratione scripti pasquinosi foribus Collegii Torunensis Societatis IESU affixi, tum & ad dandam Iustificationem ex Persona sui, in puncto objectæ sibi certæ cum vicinis civitatibus Acatholicis Correspondentiæ & factionis, in præjudicium Fidei Orthodoxæ & Personarum Catholicarum, Torunii, in obsequiis variis existentium, coram Iudicio Commissoriali comparere renueret; Christophorus quoque Giereth Senior Minister Torunensis Augustanæ Confessionis, quoniam scriptum certum læsivum, typô Civitatis Torunensis impressum, varias calumnias contra Sacram Sedem Apostolicam Fidem Orthodoxam, tum & Statum Reipublicæ, in se continens, Nobili & spectabili Iacobo Meysner Consuli, Præsidi Cameræ & Scholiarchæ Gymnasii Torunensis, in applausum fæderis Conjugalis, & in contemptum durantis Commissionis dedicare, ac varia per loca plurima efferre exemplaria variis Personis ausus esset, & temere præsumeret, neque ad justificationem scripti sui læsivi & calumniosi, licèt multoties per Secretarium Civitatis Torunensis vocatus, coram Iudicio Commissoriali comparere vellet, imò se à comparitione abstraheret; idcirco utrosque pro disjudicatione, ratione præmissorum omnium, ad Nos, Iudiciaque Nostra remiserant, & comparere sub rigore pænarum contra Calumniatores legibus Regni descriptarum mandârunt. Ad extremum Indicentes omnes: videlicet: Conventum Torunensem Sancti-Monialium Ordinis Sancti Benedicti, Conventum Torunensem Ordinis Prædicatorum S. Dominici,

 Venerabilem

Venerabilem Severinum Szczuka Episcopum Ioppensem, Suffraganeum, Archidiaconum & Officialem Generalem Culmensem, Præpositum Ecclesiæ Parochialis Torunensis Sancti Joannis, singulos pro suo Interesse; atque Conventum Ordinis Sancti Francisci ratione proprietatis Ecclesiæ Beatissimæ MARIÆ Virginis, nulliterq; ejusdem Ecclesiæ per Acatholicos Civitatis Torunensis ac Monasterii sui per eosdem in gymnasium conversi possessionis; Quoniam pars citata eisdem Indicentibus sese opponeret, licèt connexionem cum causa præsenti habere nonnullæ Indictiones viderentur; ne tamen Parti citatæ aliquod præjudicium inferretur, ad Nos Iudiciaq; Nostra pro disjudicatione, & partes cum paratis Inquisitionibus remiserant, conservando iisdem Terminum peremptorium; A qua sententia Commissoriali appellationem, citata Pars, ad Nos, Iudiciumque Nostrum interposuerat, eamque non admissam extraditis citationibus Prosecutorialibus prosecuta est; Decreto Nostro supra de Actu specificato, & Actu Commissoriali, Sabbatho post Festum Exaltationis Sanctæ Crucis proximo, anno præsenti millesimo septingentesimo vigesimo quarto expedito, tum Citationibus Prosecutorialibus in se latiùs præmissa enarrantibus. Quo in Termino ex præfata Remissa conservato, & ex Prosecutionibus per citatos extraditis provenienti, dum Partes hîc Varsaviæ Feria quinta ante Festum Sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum proxima die vigesima sexta Mensis Octobris, anno præsenti; Et quidem Actorea: Generosus Wyrozembski Instigator Regni Personaliter, Religiosi Casimirus Czyżewski Collegii Torunensis Rector, Matthias Przanowski Presbyter, Iacobus Piotrowicz, Martinus Wolański Fratres Societatis JESU personaliter, suîs & aliorum nominibûs, cum Nobilibus Michaële Nagrodzki, Joanne Złotorowicz; citata verò Pars per Nobilem Christianum Klosman Secretarium Civitatis Torunensis personaliter, cum Nobilibus Chrysostomo Boguszewski & Francisco Cygler judicialiter additis Defensoribus, coram Nobis, Iudicioque Nostro comparerent, eundemque Terminum attentarent, & secum de admissibilitate & prosequibilitate appellationis, legalitateque nec ne Sententiarum Commissorialium, controverterent; atque Venerabilis Antonius Donadzki Ecclesiæ Sancti Laurentii extra mænia Torunii Præpositus, uti Venerabilis Severini Szczuka Suffraganei Culmensis & Præpositi Ecclesiæ Sancti Ioannis Torunensis, & simul Communitatis Catholicæ Torunensis, Plenipotens personaliter, tum Nobilis Albertus Włoszkiewicz Plenipotens Pellionum Catholicorum Torunensium, & Venerabilis Michaël Hankiewicz Plenipotens Venerabilis Abbatissæ DEOdicatarum Monialium

Regulæ

Regulæ Sancti Benedicti Conventus Torunenſis perſonaliter; nec non Religioſus Bonaventura Murczyński Ordinis Sancti Franciſci de obſervantia, tum ejusdem Nominis Religiosus Kopaczewski Commiſſarius Terræ Sanctæ, Ordinis ejusdem Conventus Varſavienſis, ſuîs ac totius Provinciæ ſuæ Nominibûs Perſonaliter, cum Nobili Antonio Czeſzkiewicz ad cauſam præſentem, cum Iuribus ſuis, ad Eccleſiam Beatiſſimæ MARIÆ Virginis Torunenſem habitis intervenirent, & ſe indicerent. Nos cum Conſiliariis & Iurisperitis Noſtris, cauſam præſentem ad Feriam 2dam proximè futuram rejecimus, Terminum Partibus conſervando, pro quo Termino Partibus utrisque Inquiſitiones in Iudicio Noſtro reponere mandavimus, ſub onere cauſæ. In Termino itaque hodierno, ut ſupra, ex Rejectione conſervato, legitimè ad præſens proveniente, & hucusque continuato Partibus prænominatis, Generoſis, Vladislao Wyrożembski Inſtigatore Regni, & Adamo Dorengowski Vice-Inſtigatore Regni, tum Religioſis Caſimiro Czyżewski Rectore, Matthia Przanowski Preſbytero, Iacobo Piotrowicz & Martino Wolański Fratribus Societatis IESU perſonaliter, ſuîs & aliorum, totiusque Collegii Torunenſis Societatis IESU nominibûs, cum Nobilibus Michäéle Nagrodzki & Ioanne Złotorowicz; Citatis verò, & Incarceratis, per Nobilem & Spectabilem Ioannem Fridericum Hawenſzteyn Conſulem, Honoratos Godefridum Augſztyn Scabinum, Iacobum Gemeiner & Andream Kircheyſen Sexaginta viros, atque Nobilem Chriſtianum Kloſman Secretarium Civitatis Torunenſis, ſuîs & aliorum Nominibûs perſonaliter, cum Nobilibus Chryſoſtomo Boguſzewski, & Franciſco Cygler defenſoribus Iudicialiter additis, coram Nobis, Iudicioque noſtro comparentibus, eundemque Terminum attentantibus. Et Actoribus quidem ſcilicet Religioſo Rectore totoq; Collegio Torunenſi Societatis IESU ex Citatione ſua, tum Proteſtatione coram Actis Caſtrensibus Kovalevienſibus, feria quarta in vigilia Feſti Sancti Laurentii Martyris, anno nunc currente facta, proponentibus, exhibitisque visione per Providum Albertum Kupczewicz Miniſterialem Regni Generalem, in Præſentia Generoſorum Officialium Terreſtrium, Collegii & Scholarum Torunensium, deſolationum, bene & diligenter in loco loci in recenti conſcripta, & eorundem Generoſorum Officialium Terreſtrium ibidem præſentium manibûs ſubſcripta, & per oblatam circa ipsius recognitionem ad præfata Acta Caſtrensia Kovaleviensia, feria quarta poſt Feſtum Beatiſſimæ ac gloriosiſſimæ Virginis MARIÆ Scapularis proxima, anno itidem currente porrecta, nec non obductione ſub

eodem Actu vulnerum lividorum, converberationum & obsangvinolationum, Religioso Casimiro Czyżewski, & Fratribus Andreæ Gaykowski, ac Iosepho Rożański, ejusdem Collegii Societatis JESU Torunensis, circa violentiam per gverrham tumultuariam, plebis Communitatis Torunensis, Collegii præfati Invasionem, inflictorum factâ, tum arrestô officiosè impositô super Personis, Davide Heyder, Leban Fasbakier & aliis violentiarum & criminum in citatione & protestatione specificatorum patratoribus, in relatione ejusdem Arresti coram Actis Podguriensibus, die sexta Mensis Septembris, per providum Albertum Kupczewicz Ministerialem Regni Generalem, recognita, expressis, iisdem productis, & Actu Commissariorum Nostrorum supra specificatorum Judicialiter perlecto, Remissas præfati Iudicii Commissorialis ad Nos & Iudicium Nostrum factas expediri, & contenta suæ Citationis decerni petentibus; Generosis verò, Joanne Vladislao Wyrożembski Instigatore, & Adamo Dorengowski Vice-Instigatore Regni, pro tantis sceleribus in DEUM, & Beatissimam Virginem MARIAM, & Sanctos, ac Fidem & Religionem Catholicam Romanam, in hoc Regno dominantem, perpetratis, tam Præsidentem quàm & totum Magistratum ac plebem Acatholicam tumultuantem, pænis criminalissimis, toti Christiano Orbi exemplaribus, nempe concremationis in vivis, circa extractiones lingvarum à tergo per Executores Iustitiæ affici, Fana eorum Lutheranica, gymnasium & typographiam, totamque mobilem & immobilem cujusvis substantiam confiscari, Ecclesias antiquitus Catholicas per eosdem indebitè possessas, anteactis Possessoribus Catholicis adjudicari, & ne quispiam Lutheranus in futurum in murata Civitate Torunensi habitare, vel pernoctare audeat, severè prohiberi, postulantibus. Jam verò eorum specialibus Delatoribus Religiosis Fratribus, Martino Wolański & Jacobo Piotrowicz, ob non statuitionem Inculpatorum, arrestatorum, Principalium & Comprincipalium, ac Complicum in sequestro Nobilis Magistratus Torunensis, ad tenorem Decreti Nostri, per idem Iudicium Commissoriale relictorum, sub onere Causæ & responsionis, in ordine ad examen illorum Iudiciale, & destinationem nonnullorum ad Inquisitiones corporales, injunctam & demandatam, pænas contraventionis, tam super Nobili Magistratu, quàm ordinibus Civitatis extendi, & nihilominus quatenus Decreto Nostro & Commissoriali in instanti satisfaciant, eosdemque inculpatos, arrestatos, & sequestratos, tum filium Famati Heyder Civis Torunensis, noviter Catholici facti, coram Iudicio Nostro sub forti eaque militari executione & onere causæ statuant, ante omnia

omnia decerni, & circa Decreta Commissorialia se Actores conservari, petentibus. Tandem in ulteriori Tractu, eadem Parte Actorea, Inquisitiones coram Iudicio Commissoriali expeditas, in occlusis ac Sigillatis rotulis, satisfaciendo Decreto Nostro, producente & in Iudicio reponente, ad lectionemque earundem inquisitionum condescendendi, ac remissionem expediri, & pænas ut supra, tum & ratione contraventionis Decreto Commissoriali seorsivas decerni, postulante; In contrarium Parte citata, & Prosecutionum Actorea; appellationem à sententia Commissoriali, ad Nos, Iudiciumque Nostrum interpositam admissibilem fuisse & ad præsens prosequibilem esse, sententiamque eandem Commissorialem cassari à statuitione Inculpatorum Varsaviæ coram Iudiciis Nostris injuncta, se liberari supplicante, atque contra Testes nonnullos exceptiones suas in scripto producente, tum & rotulum Inquisitionis suæ eductæ occlusum & obsigillatum reponente; In oppositum Actorea Parte locũ prætensæ admissibilitatis & prosequibilitatis appellationis non esse, nec à pænis contraventionis Decreto Nostro & Commissoriali, ipsos liberari posse; Propterea: quia vigore Iuris Culmensis & Saxonici stante pede, à decretis Commissorialibus non appellârunt, neque intra decendium juxta observationem Reverendissimi Lipski, & continuam Curiæ Nostræ praxim, extraordinariè de prosequenda protestati sunt, imò eadem Decreta, per Iuramenta super incorruptione Testium tum de stando Iuri, & parendo Iudicato, neque in Actu Commissoriali præstita acceptârunt, Testesque quos inducere voluerunt & notulam ipsorum subscripserunt ad Interrogatoria ipsorum examinati, & Interrogatoria Partis Actoreæ ipsis communicata fuerint, nullumque gravamen eis illatum sit; & quia ab accessoriis & in puncto statuitionis vigore cõstitutionis Regni Añi millesimi sexcẽtesimi septuagesimi appellationes prætensæ admissibiles & prosequibiles non sint, sitque ejusmodi petitio præpostera, uti post Decretum Iudicii Nostri demandatæ repositionis Inquisitionum excipiendo, dicente, ac ideo cum non constet de gravamine, assertam appellationem inprosequibilem esse, inferente. Interveniente quoque ad Causam præsentem, Religioso Provinciali Ordinis Sancti Francisci Minorum Conventualium, ac interventionem suam admitti atque se circa Iura sua ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis MARIÆ habita conservari, Religiosorum verò Bernardinorum interventionem ad Ecclesiam eandem factam rejici supplicante; interveniente quoque Religioso Rectore totoque Collegio Plocensi Societatis JESU, per Religiosum Andream Rutkowski Societatis IESU, ratione Iuris & prætensionis

 prædicti

prædicti Collegii ad eandem Civitatem habitæ, interventionemque suam admitti postulante. Nos cum Consiliariis & Iurisperitis Nostris, auditis partium controversiis, allegationibus, & defensis, suspensa cognitione admissibilitatis & prosequibilitatis, appellationis, legalitatisque nec ne sententiarum Commissorialium, ad lectionem Inquisitionum per Partes repositarum juramentô comprobatarum, condescendimus. Quibus lectis & per omnes circumstantias matura deliberatione discussis; siquidem Iudicio Nostro patet, & sufficienter deductum est: quod in Civitate Torunensi [quæ olim tota fuit Catholica:] Cives, Incolæ, & populus Augustanæ Confessionis Acatholicæ, abutendo beneficio Reipublicæ, Religionem ipsorum hoc in Regno Catholico tolerantis, aliquoties jam (uti Acta testantur:) insolenter & violenter, tumultus & seditiones contra Catholicos & Spirituales Personas excitavit, & nunc recenter in contemptum ejusdem Fidei Orthodoxæ Romanæ, perturbationemque Pacis & tranquillitatis publicæ, ac in convulsionem Legum & Constitutionum Regni, præcipuè Anni millesimi sexcentesimi septimi, quæ Religiosis Societatis JESU & Studiosis Scholaribus in Civitatibus Terrarum Prussiæ, singulariter in eadem Civitate Torunensi, omnem præcavit securitatem, improba temeritate & audacia ducti, ex levi causa dejectionis, videlicet galeri de capite cujusdam Acatholici irreverenter Processionem cum Sanctissimo Sacramento, in Solennitate Festi Sacratissimi Scapularis, Beatissimæ MARIÆ Virginis, per cæmeterium Ecclesiæ Sancti Iacobi Religiosarum Monialium Ordinis Sancti Benedicti, annô præsentî celebratam prope stando intuentis per Studiosum Catholicum, zelô cultus Divini ductum, factæ, eundem Studiosum in cæmeterio Ecclesiæ præfatæ spretâ illius immunitate Famatus Heyder colaphizavit, & cum Famato Karwiza aliisque concivibus suis ex cæmeterio violenter extraxit, ac custodiæ militari civili tradidit, ad postulationemque Studiosorum, tam idem Heyder quàm Nobilis & Spectabilis Resner Præsidens, eundem Studiosum ex carcere dimittere noluerunt, imò in crastino alterum Studiosum propterea ac si quod precibûs suîs, tam eidem Famato Heyder, quàm & Nobili ac Spectabili Resner Præsidenti molestus esset, incarcerari fecerunt, talique incarceratione & ad crebras preces Studiosorum denegata illorum excarceratione, eosdem Studiosos Catholicos Polonos ad abducendum vicissim gymnasistam Acatholicum ad suas Scholas provocârunt, tumultumque & gverrham iidem Acatholici excitârunt, quem tumultum Nobilis & Spectabilis Præsidens, sub cujus potestate populus Torunensis erat,

prout

prout ad initium non compescuit, ita postea cum idem tumultus invalesceret, nullum consilium cum Civitatis hujus Consulibus, de sedando tumultu, fecit, qui tumultuans populus dimissione gymnasistæ Acatholici Studiosi non contentus, animis ferocibûs & magna vi ac impetu cum armis primò Scholas, demum & Collegium Religiosorum Actorum effractis & exsectis foribûs invasit, hypocausta, cubicula, scamna, sellas, cathedras, fornaces, fenestras, sacellum, Congregationes binas Beatissimæ Virginis MARIÆ & in iis Altaria duo in particulas securibûs confregit, tandem & Imagines Crucifixi Salvatoris Nostri, DEIparæ, multorumque Sanctorum dilaceravit, acinacibûs confodit, dissecavit, & nonnullas Imagines statumque DEIparæ & Sanctorum Regni hujus Patronorum ac aliorum exportando accenso igni in platea ante Domum Nobilis & Spectabilis Zerneke Vice-Præsidis imposuit & combussit, & per hunc ignem Imagines cremantem saltando, varias blasphemias effrenatîs in omnem licentiam lingvîs effutire præsumpsit, Religiosum Rectorem & duos Confratres ejusdem Societatis JESU convulneravit, converberavit (uti obductiones loquuntur:) ex quibus unus concussus de vita periclitatur; ac post cessatum (quinque circiter horis durantem:) tumultum, in sceleratos tumultuantes Cives & incolas præfatus Nobilis & Spectabilis Resner Præsidens advertere & inquirere tanta crimina neglexit, impunitaque reliquit, & apertè se conniventem huic tumultui contra paucos Studiosos ex minoribus scholis [ex majoribus enim jam vacabant:] circa Collegium commorantes, & contra Actores excitato, reddidit; Nobilis quoque & Spectabilis Zerneke Vice-Præses ex vicina Scholis & Collegio Actorum Domo sua lapidea per fenestram aspiciendo tumultuantes Cives ad sedandum hunc tumultum [uti ex Officio suo tenebatur:] se non applicavit, imò ut milites & Cives bombardas ad Studiosos exploderent, mandavit, ignemque ante suam Domum lapideam & in eo combustionem Imaginum passus est, & nisi ad finem tumultus eum extingvi curavit; Ideo ex præmissis & aliis rationibus Judicialiter illatis & deductis, memoratos Nobiles & Spectabiles Resner Præsidem & Zerneke Vice-Præsidem Torunensem pænas criminales succubuisse adinvenimus, & decernimus. Quatenus Religiosi Actores per Religiosum Jacobum Piotrowicz, Martinum Wolański, Fratres Societatis IESU, vel unum ex illis eosdem Nobiles & Spectabiles Resner & Zerneke cum sex Testibus sibi genere similibus Sæcularibus Personis Iuramentô coram Commissariis Nostris ad Executionem Decreti Nostri præsentis assignatis convincant; Et

 quidem

quidem Nobilem & Spectabilem Resner Præsidem in eam rotam quia ipse per Carcerationem Studiosorum ex levi causa & non dimissionem eorundem ad preces Studiosorum occasionem tumultûs dedit, eumque tumultum sedare potuit, & non sedavit, imò propter non adhibitum Consilium Magistratûs, & per mandatum militibus ac Decurionibus datum, tumultum eundem auxit, & culpâ ejus invasio & devastatio Collegii & Scholarum ac Sacrarum Imaginum dissectio & combustio à tumultu facta est, pænasque criminales promeruit; Iam verò Nobilem & Spectabilem Zerneke Vice-Præsidem in eam rotam: quia ipse quoque ad tumultum sedandum ex Officio se non applicavit, eumque per data mandata ad ejaculandas bõbardas ad Studiosos Catholicos, in cæmeterio & in Scholis se continentes auxit, combustionemque Sacrarum Imaginum ante suam Domum conniventer passus est & dissimulavit, ac pænas criminales promeruit; ita illos vel illum & Testes DEO & Passione Christi adjuvante. Quod juramentum postquam præstiterint extunc utrosque tam Resner Præsidem, quàm Zerneke Vice-Præsidem Torunenses capite plectendos esse sententiamus, bonaque Resner Præsidis omnia confiscamus. Actuales autem Cæmeterii Scholarum & Congregationum ac Collegii Torunensis Societatis JESU Invasores, violentiarum manuales patratores, & Principales hujus tumultus Authores, quos Inquisitiones eductæ arguunt esse reos, utpote Heyder, Mohapt, Hertel, Hans Krysztoff, *Mularczyk*, *Cieśielczyk* ignoti nominis Bekier, Guźikarz, Mertz, Wąz Sutores, capitibûs plectendos esse statuimus, tum & alios non solùm invasores sed & blasphematores, Imaginum combustores, & quidem Karwiza Lanionem, Szultz *Iglarz*, Hafft *Piernikarz* prævia amputatione manuum dextrarum, nec non Gutbrodt capitibûs similiter plecti debere, idque in foro publico Civitatis Torunensis, vel aliò ibidem suppliciorum loco solito in theatro sententiamus prævia tamen simili horum omnium supra specificatorum per Religiosos Actores prænominatos ut supra juratoria convictione, prout objectorum Criminum sunt rei, & ejusmodi pænas promeruerunt. Corpora verò eorum, & quidem Corpus Karwizy Lanionis in quatuor partes dilaniatum, & aliorum blasphemorum Szultza, Haffta, Gutbrota extra Civitatem rogo imponantur & comburantur. Jam verò Nobilis & Spectabilis Gerhardus Thomas Burgrabius & Cymerman Consul prædictæ Civitatis Torunensis tumultûs spectator, qui ad sedandum hunc præfatum tumultum (uti ex Officiis suis tenebantur:) non concurrerunt, tam à Burgrabiali, quàm à Consulari

Officio

Officio utrosque removemus ac privamus, & inhabiles horum Officiorum esse declaramus, & præterea quatenus sessionem Turris civilis Torunensis in una ab Actu inchoatæ Commissionis futuræ septimana ingrediantur, eandemque Cymerman per spatium dimidii Anni, & Gerhardus Thomas per duodecim septimanas continuent & expleant decernimus sub pæna infamiæ in ibidem coram Commissariis Nostris sive in Iudicio Nostro publicanda. Quoad Personas Nobilium & Spectabilium Meysner Consulis, & Wedemejer Secretarii propiores eosdem citatos ad evasionem juratoriam adinvenimus, idque in eam rotam Nobilem Meysner: quia de tumultu inchoato nescivit & ad finem ejus domum veniendo media sedandi illius non habuit; Iam autem Wedemejer: quia lapidem contra Collegium Actorum (ut ipsi obiicitur:) non projecit, neque tumultum ad projiciendos lapides concitavit, nec ullo modo consilio & opere ad eundem tumultum & violentias Actoribus illatas cooperatus est, idque cum tribus quisque Testibus sibi genere similibus possessionatis. Quibûs juramentîs præstitîs liberos fore debere à pænis pronunciamus. Quoad Personas Graurok Præfecti militiæ Civilis, & Famati Zylber Apothecarii Ductoris unius Quartieræ: quoniam ipsi manum fortem habentes eundem tumultum non sedârunt, imò contra Studiosos Catholicos Scholasque eorum, non autem contra tumultuantes, bombardas exploserunt, & per recessum suum à Scholis, easdem & Collegium indefensum furiæ populi tumultuantis reliquerunt; idcirco licèt pænam capitis jure merito succumbere deberent: quia tamen id ex mandato Præsidis factum fuisse dignoscitur, (quod alias in tali casu attendere non debuerunt:) ad mitiores descendendo: decernimus quatenus uterque redimendo caput fundum Civilis turris Torunensis, in una ab Actu inchoatæ futuræ Commissionis septimana ingrediantur ejusque Sessionem per annum & sex septimanas continuent & expleant, & in egressu de eadem turri Zylber centum aureos, Graurok verò quinquaginta in vim mulctæ Actoribus solvant, statuimus; Facturi sunt præmissa iidem citati sub pæna infamiæ & colli, ac libera captivatione in ibidem coram Commissariis Nostris sive in Iudiciis Nostris in casu contraventionis huic Decreto publicanda. Reliqui autem citati quos Inquisitiones eductæ circa invasionem Actorum præsentes fuisse, & tumultui se cum armis immiscuisse demonstrant, licèt tanquam Complices tantorum scelerum, eâdem pænâ, qua Principales, criminali puniri deberent: quia tamen de Personali seu manuali eorum excessu luculenter non constat; ideo decernimus quatenus ipsi, videlicet

delicet Teyblingier & Leban, Turkowski Pisarek Famati Kleybá, Macieiowski, Nagorny, & Grunau gymnasistæ, Bednarczyk, redimendo capita, fundum turris seu carceris per Commissarios designandi in una ab actu inchoatæ Commissionis futuræ septimana ingrediantur, ejusque sessionem itidem per annum & sex septimanas; jam verò Iarka & Pisarek seu famulus Zylbera per dimidium anni, Walter civis, Heyna, Pisarek seu famulus kusego Ianka, Godfryd Pantel, Westphal & Krygier gymnasistæ Pisarek seu famulus Famati Proba Vinopolæ, Samuel Werner famulus Dankmajera Mercatoris, famulus seu Pisarek Szweycmana, Nathanaël Pisarek Fengiera, Helszt Pisarek Rozdayczera, Gryffald famulus Reych, filius Hanaowey Viduæ, Alexander Balwierz, Kall Wachmagister, Tuchel, *P*erukarczyk *F*amati Pozyna, Filius Rauzowy Viduæ, Christianus famulus Krauzyi, Perukarczyk sub signo aurei cervi existens, Kleber *P*isarek seu famulus Teysmera, Bedka, Krauz, Berendt Laniones, Pisarek Sztyrny, Nosek Białoskornik per unum Quartale anni carceres civiles subeant continuent & expleant sub pæna infamiæ & liberæ captivationis, & in egressu de turri Famatus Teyblingier & Leban tanquam cæmeterii Ecclesiæ Sancti Jacobi Invasores, immunitatisque ejus violatores quisque ex Persona sua quinquaginta aureos, & Iarka viginti quinque aureos Religiosis Monialibus ad dictam Ecclesiam existentibus; alii verò supra specificati Cives & famuli Civium *Pisarkowie* dicti, seu eorum Domini pro incontinentia ipsorum, quisque ex *P*ersona sua per viginti quinque aureos, Walter verò & Heyna tum & Hanaowa Vidua pro Filio suo per quinquaginta aureos similiter quisque ex Persona sua in vim mulctæ pro exstruenda Columna & statua marmorea Beatissimæ MARIÆ Virginis in loco, in quo Statua ejusdem Beatissimæ MARIÆ Virginis & aliæ Imagines *S*anctorum combustæ sunt (si commodè fieri poterit:) aut ei vicino prope Collegium situanda, applicandos, ad manus Religiosi Rectoris ejusdem Collegii Societatis JESU solvant, sub simili pæna Infamiæ in ibidem coram Commissariis Nostris, sive in Iudiciis Nostris publicanda, & ipsâ captivationis pænâ. Reliquos famulos scilicet Westphal, Ludovicum Swiderski, Exactorem *Szarpacz* nuncupatum, tum & pueros seu tyrones Szweycmana, *F*engiera *z pod białego konia*, aurigam Heyny flagellis coercendos, & puniendos esse censemus. Resolvendoque suspensam in anterius factam, & Remissam expediendo appellatione inadmissibili nec prosequibili à Sententia Commissariorum Nostrorum adinventa, Partes circa sententiam eandem Commissariorum Nostrorum conservamus cum ea declaratione: quod non coram Iudicio Nostro, sed coram Commis-

sariis

fariis Nostris infra nominatis, omnes eosdem carceratos arrestatos & sequestratos pro sumendis pœnis Decreto Nostro præsenti assignatis Nobilis & Spectabilis Magistratus & Ordinis Civitatis Torunensis statuere teneantur sub rigore in præfata sententia Commissoriali expresso. Et quoniam frequenter hi tumultus præ potentia Acatholicorum in Civitate Torunensi fiunt, eosdemque Magistratus Acatholicus sedare & compescere negligit, imò conniventer se habere in illis consvevit, ideo ad coercendam faciliùs insolentiam & licentiam populi Acatholici, tumultibusque ulterioribus contra Catholicos usu jam fermè receptis in futurum obviando, atque Constitutionem Regni Anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi ad executionem deducendo, statuimus & ordinamus, quatenus abhinc in futurum in Magistratu Consulari, Scabinatu & sexaginta Viratu ac in Officio Secretariorum sit medietas Catholicorum idq; per Electionem juxta præscriptum Iurium Civitatis (quæ illæsa esse volumus:) procedendo, in locum demortuorum, vel post ascensum, aut resignationem Acatholicorum, ad eadem Officia assumendorum, incipiendo statim post remotos præsenti Decreto à suis Officiis, Quos Catholicos in præsentia Commissariorum ad executionem præsentis Decreti deputatorum eligent; Pariter ad Jus civile suscipiendum, contuberniaque sua & Officia Catholicos sine cunctatione admittent, & in servitio militari civili medietatem Catholicorum, Officiales autem militum Catholicos semper habeant, idq; sub pæna quingentorum aureorum memorata Constitutione Regni Anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi vallata, per Generosum Instigatorem Regni in Iudiciis Nostris vindicanda, & sub nullitate Electionis in contrarium præsenti Decreto peractæ. Ut autem Cultus Divinus augeatur, & Honor læsus DEIparæ per combustionem illius Statuæ & Imaginum Sanctorum reparetur, Fidesque Catholica in eadem Civitate depressa reflorescat & propagetur: admissa Interventione Religiosorum Ordinis Sancti Francisci de observantia (qui soli in Regno Nostro Bernardini vocantur) Ecclesiam Beatissimæ MARIÆ Virginis antea in possessione eorundem Religiosorum Ordinis Sancti Francisci de observantia existentem, tanquam Proprietariis & ultimis ante occupationem per Acatholicos hujus Ecclesiæ Possessoribus cum supellectili Ecclesiastica & Bibliotheca, quæ & qualis intercepta est, & ex Inventario antiquitus conscripto per Nobilem & Spectabilem Magistratum Torunensem producendo ejusdem Ecclesiæ propria esse apparuerit, & gymnasium quod ex monasterio eorum Acatholici sibi fecerunt iisdem Religiosis Bernardinis adjudicamus, & ut ipsos Commissarii Nostri ad Executionem Decreti Nostri

 præsentis

præſentis Deputati reinducant illis committimus. Quam Reinductionem Nobilis & Spectabilis Magiſtratus & Ordines, & nemo ex populo Acatholicus Civitatis Torunenſis ſeu quævis Perſona impugnare audebit ſub pæna Infamiæ, quam decernimus, & Terminum publicandæ coram Commiſſariis Noſtris iiſdem conſervamus, Proceſſiones quoque publicas ſtatîs temporibûs cum Sanctiſſimo Sacramento juxta morem & inſtitutum Eccleſiæ Catholicæ, tum ſepulturas proceſſionaliter publicas Catholicorum, [uti olim fuerant:] Acatholici impedire, & interturbare in eadem Civitate ne audeant prohibemus, & pænam quingentornm aureorum, aliasque per Judicium Noſtrum decernendas & extendendas interponimus. Scripta typis impreſſa Sarcaſmos & Convitia in ludibrium & contumeliam Fidei Catholicæ, Eccleſiæque Orthodoxæ continentia, ut & hymænea per Giereth Prædicautium ſacra miſcendo profanis concepta caſſamus, & ad rogum per Executorem Iuſtitiæ comburenda damnamus, ipſumque Giereth & Olloff Prædicautios ob non comparitionem coram Commiſſariis Noſtris, & in Iudicio Noſtro, non datamque in objectis ſibi juſtificationem, Infames & proſcriptos eſſe de Regno declaramus. Et ut reliqui Prædicautii Torunenſes modeſtè ſe gerant, Fidem Catholicam & Spiritualem ſtatum dictîs & ſcriptîs ſuîs famosîs non lædant, & Typographia Torunenſis nullos libros & ſcripta ſine facultate Loci Ordinarii & Cenſura Theologi ab eo conſtituti imprimere audeat, ſeverè & ſub confiſcatione Typographiæ interdicimus. Et ſiquidem ex occaſione binorum Studiorum & Studioſorum Catholicorum videlicet & Acatholicorum in Civitate eadem Torunenſi tranquillitas publica ſæpiùs turbari ſolet. Idcirco diſcrimina quævis turbasque & rixas amovendo, Scholam ſeu Studium Acatholicum in Civitate tam nova quam veteri Torunenſi haberi interdicimus, ad aliquam tamen villam viciniorem civitatis vel locum extra Civitatem ſeparatum Scholam ſeu ſtudium tranſportari Acatholicis permittimus. Damna cauſata litisque expenſas ad triginta quatuor millia ſexcentos florenos bonæ monetæ in Pruſſia currentis per Actores liquidata prævia realitatis eorum per Religioſum Rectorem coram Commiſſariis Noſtris infra ſcriptis juratoria comprobatione: quatenus Civitas Torunenſis durante Commiſſione futura Actoribus ſolvat demandamus idque ſub intromiſſione in bona huic ſummæ adjudicatæ proportionata Civitatis Torunenſis Patronymica in præſentia Commiſſariorum Noſtrorum, per Miniſterialem & Nobiles conferenda. Quæ bona per intromiſſionem tradita Religioſi Actores uſque ad exſolu-

tionem

tionem ſpecificatæ ſummæ poſſidere, & uſus fructus ex illis percipere debebunt; à cujus ſummæ ſolutione & quavis in litem præſentem contributione Catholicos liberamus, confiſcataque Bona Reſnera Civitati Torunenſi damus & adjudicamus. Religioſos quoque Actores Societatis JESU, nunc & pro tempore Torunii exiſtentes præmonemus, ut Studioſos Scholas ſuas frequentantes in modeſtia diſciplinaque debita contineant, illosque coerceant, & advertant, ne injuriîs, contumeliîs, & violentiîs Acatholicos afficiant. Alios autem indicentes ſupra ſpecificatos cum ſuis querelis & prætenſionibus ad Commiſſarios eoſdem remittimus. Intervenientibus tamen Pellionibus Catholicis, quatenus Nobilis & Spectabilis Magiſtratus Torunenſis Decreti Noſtri cum Acatholicis Pellionibus lati ſatisfactionem injungat, illudque durante Commiſſione exequatur ipſi demandamus. Ad extremum Famato Radzki, qui Filium Acatholicum Heydera [poſtquam Pater Heyder Catholicus factus eſt :] de Civitate Torunenſi ad exteros expedivit, coram Commiſſariis iiſdem ſtatuat, ipſi ſub pæna mille Talerorum injungimus. Pro cujus Decreti Noſtri Executione Commiſſarios Noſtros utpote Magnificos: Jacobum Sigiſmundum Rybinski Culmenſem, Ignatium Dźiałynski Pomeraniæ Palatinos; Adamum Poninski Gneſnenſem, Andream Dambski Breſtenſem Cujaviæ, Caſimirum Rudźinski Czernenſem, Petrum Czapski Culmenſem Caſtellanos; & Generoſos Georgium Lubomirski Succamerarium Regni, Franciſcum Aloyſium Łoski Varſavienſem & minoris Cancellariæ Regni Regentem, Felicianum Grabski Lancicienſem, Antonium Trypolski Kijovienſem, Adamum Wilkowski Sochaczevienſem Succamerarios; Joſephum Nakwaski Capitaneum Ciechanovienſem, Vladislaum Wyrożembski Inſtigatorem Regni, Paulum Jaroſzewski Płocenſem, Franciſcum Mokronowski Varſavienſem Vexilliferos; Franciſcum Poninski Dapiferum Poſnanienſem, Joſephum Wyſocki Siradienſem, Ludovicum Borucki Breſtenſem Cujaviæ Pocillatores; Caſimirum Polanowski Subdapiferum Buſcenſem, Joannem Piwnicki Notarium Terreſtrem Culmenſem, Franciſcum Łopacki aſſignamus & deputamus, iiſdemque committimus, quatenus præviîs Innoteſcentiarum ſuarum Literîs, duabûs Septimanîs ante Terminum ponendîs ad Civitatem Noſtram Torunenſem condeſcendant, ibidemque abſentia nonnullorum non obſtante modo quinque adſint Iuriſdictione ſua Commiſſoriali in Prætorio vel alio loco qui ipſis commodior videbitur fundata, acclamatisque ad præſentiam ſui per Miniſterialem Partibus, in præſentia earum, tum & Incarceratorum & arreſtatorum ſtatuendorum Decretum præſens Noſtrum publicari faciant, illudque in omnibus contentis punctis, non attentis quibusvis citatæ & Iure victæ Partis oppoſitioni-

bus, rescriptis, appellationibus, citationibus prosecutorialibus mandatis Nostris exportatis vel exportandis ad Executionem, adhibita etiam forti militari manu deducant & deduci curent. Quam Executionem Nobilis & Spectabilis Magistratus & Ordines Civitatis Torunensis, & nemo irritare audebit, sub pœnis Legum contra Convulsores Decretorum Nostrorum sancitis, & ipsa pœna Perduellionis. Demum Indicentium seu Intervenientium ad præsens prætensiones exaudient, cognoscent, ac pro Iure, Iustitia & æquitate decident, sopient, vel si complanare poterunt, complanabunt, moderabunt. Appellatione à sola definitiva sententia in his duntaxat Indictionibus, Partibus se gravatas esse sentientibus ad Nos Iudiciaq; Nostra salva manente. Actum Commissionis quoad Indicentium & Intervenientium prætensiones expeditæ in aperto, Inquisitiones verò si quæ eductæ fuerint in occluso rotulo Partibus extradant, postquam taliter in rem Indicentium expeditam Commissionem, Terminum coram Nobis Iudicioque Nostro comparendi iisdem Indicentibus conservamus peremptorium Decreti præsentis vigore. In cujus rei Fidem præsentibus Sigillum Regni est appressum. Actum Varsaviæ sub tempus Comitiorum Regni Generalium Feriâ secundâ post Festum Sanctorum Simonis & Judæ Apostolorum proximâ, Die trigesima Mensis Octobris Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quarto, Regni verò Nostri vigesimo octavo Anno.

Relatio Jllustrissimi & Excellentissimi Domini Joannis in Słupow Szembek Supremi Cancellarii Regni Łomżensis, Graudentini &c. Capitanei.

JOANNES SZEMBEK
Supremus Regni Cancellarius.

[L. S.]

SEBASTIANUS RYBCZYNSKI
Decretorum Curiæ Regni Notarius.
MPP.



